

nem postremam 150 numerantur in actis; ab auctoribus diversis jam 170, jam 289 exhibentur. Præsides erant soli nomine Pontificis missi, legatis Occidentis post Patriarchas Orientis locum habentibus. Celebratum est Concilium Constantinopoli in Palatii Imperialis aula, quæ *Trullus* dicebatur: coeptum 7^a Novembris A. 680, finitum 16 Septemb. A. 681.

II. *Actio 1^a*. Legati Pontificii, oratione ad Imperatorem præsentem directa, exponunt Monothelismi dogma a Patriarchis Constantinopolitanis per 40 fere annos adoptatum, a sede apostolica damnatum esse; adeoque novi hujus dogmatis rationem ab ejus defensoribus reddendam. Ut hoc facerent jussi ab Imperatore GEORGIUS Constantinopolitanus et MACARIUS Antiochenus Patriarchæ, una cum quibusdam Episcopis, fatentur accusati hujus dogmatis sectatores; sed una, ex Conciliis, Patribus et Viris illis, quos supra hæresis auctores aut defensores nominavimus, id accepisse respondent: inter quos dum numeraretur a MACARIO HONORIUS Papa, Legati intercesserunt. Patres ad responsionis hujus fundamenta conversi, acta Conc. Ephesini legi jubent, eaque Monothelitis neutiquam suffragari deprehendunt.

Act. 2^a. Dum hic leguntur acta Conc. Chalcedonens. et in ep. LEONIS perventum ad ea verba: *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est: Verbo operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est*; vellentque Monothelitæ ea exponere per actionem theandricam: de operatione hac interpellati ulterius non habuerunt quod responderent.

Act. 3^a. In lectione Conc. Constantinopolitani II. pro Monothelitis rursus reperit nihil, detecta autem eorum fraus tum in præfatione tum in act. 7^a: quarum prior sermonem MENNÆ Constantinopolitano, posterior duos libellos VIGILIO suppositos continebat: unde transitus ad fundamenta ex Patribus est indictus.

Act. 4^a. Præter Synodi Romanæ epistolam ea legitur quam AGATHO per suos legatos miserat, quæque duas in Christo esse voluntates, nullumque ex Romanis Pontificibus unquam a vera fide aberrasse ostendebat.

Act. 5^a et 6^a. Nuper imperata facturus MACARIUS exhibet codices duos inscriptos: *Testimonia SS. Patrum, unam D. N. J. C. voluntatem docentia*, et tertium, *sequentia testimoniorum de voluntate* signatum. Excipiunt contra Legati Apostolici ob textus truncatos et corruptos.

Act. 7^a et 8^a. Codice testimoniorum vero dogmati faventium ab AGATHONIS legatis prolato et post collationem factam fidei et probante ab adversariis agnito, GEORGIUS quidem cum 14 suæ Dioceseos Episcopis fidei catholicæ et Agathonis definitioni accedit; MACARIUS autem dum contumax repugnat, anathemati velut novus Dioscorus subjicitur, et pallio nudatur, inde etiam a Sessionibus ad 14^{am} usque exclusus.

Act. 9^a et 10^a. Detegitur ulterior Codicum a MACARIO prolatorum corruptio: quibus dum Stephanus ejus discipulus uti vellet, anathemate percussus expellitur. Contra productorum ab AGATHONE testimoniorum fides examinatur et probatur.

Act. 11^a et 12^a. Leguntur litteræ Sophronii ad SERGIUM cum quibusdam MACARII et STEPHANI scriptis: item SERGII epistola ad HONORIUM I Pontificem cum hujus responsione ex iis codicibus, qui una continebant scripta supposita superioribus actionibus rejecta, et ante annum Imperatori fuerant traditi.

Act. 13^a. Pronuntiatur hic sententia de litteris superiore actione lectis hac

formula: *Has invenientes alienas omnino existere ab Apostolicis dogmatibus et a definitionibus SS. Conciliorum et cunctorum probabilium Patrum; sequi vero falsas doctrinas hæreticorum, eas omnino abjicimus et tanquam animæ noxias execramur. Quorum autem impia execramur dogmata, horum et nomina a sancta Dei Ecclesia projici judicavimus, id est Sergii, Cyri, Pyrrhi, Petri, Pauli atque Theodori... Cum his vero simul projici a sancta Dei Ecclesia Catholica simulque anathematizari prævidimus et Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ; eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est et impia dogmata confirmavit. Postquam, ubi GEORGIUS Chartophylax, jussus scripta in hanc rem omnia afferre, simul attulisset alteram Honorii epistolam, ea cum aliis nominatorum scriptis hoc tulit judicium: Comperimus in unam eandemque impietatem concurrere: et prævidimus profana et animæ perniciose continuo ob perfectum exterminium igne concremari: et combusta sunt.*

Act. 14^a. Post examen de corruptione Synodi 5^æ nuper detecta susceptum statuitur, *Libros eos obelis obduci in quibus depravati sunt, et cassari eos: illos autem qui falsaverunt, anathemati submitti; et nominatim cum eis anathematizari libellum qui dicitur Mennæ ad Vigilium, et duos libellos quasi a Vigilio ad Justinianum et Theodorum, Quinam vero corruptores fuerint, non inquisitum fuit; innotuit tamen ex spontanea MACROBII Ep. Seleuciensis confessione, et secuto deinceps Georgii, Macario familiaris Monachi, ac Constantini Grammatici examine, VIGILII libellos a PAULO Constantinopolitano fabricatos, ab eoque et THEODORO Constantinopolitano et MACARIO Antiocheno diversis Synodi exemplaribus adjici jussos. Aliunde autem suspicio valet, MENNÆ libellum a SERGIO jam confictum.*

Act. 15^a et 16^a. *Polychronius* Presbyter et Monachus tanquam Monothelita contumax et tentati frustrato miraculo Dei reus impostor deponitur et damnatur: *Constantinus* Presbyter TYRI innovationem postulans mulctatur anathemate: GEORGIUS Constantinopolitanus famæ prædecessorum suorum parci deprecans non auditur.

Act. 17^a et 18^a. In priore proponitur, in posteriore legitur et subscriptione firmatur definitio fidei, quæ compendium epistolæ ab AGATHONE scriptæ referebat, addito contra Monothelismi auctores et fautores, quæ HONORIUS iterum annumerabatur, anathemate. Inter eosdem refertur ab Imperatore in Edicto et a Patribus in epistola synodica fidei expositionem dantibus et confirmationem a Pontificeulantibus: quin et in epistola LEONIS confirmatoria.

III. CANONES, qui ad mores aut ad disciplinam pertinent, ut proxima, sic hæc Synodus nullos condidit. Ad defectum hunc supplendum in eadem urbe et domo congregatum est anno post duodecimo Concilium orientale, ideo *Quinisextum* aut *Trullanum* appellatum. Centum et duo Canones in eodem editi: nonnullis demptis, merentur laudem; auctoritatem tamen regulæ universalis non habent ex supremæ potestatis et approbationis Pontificiæ defectu.

Quod damnationem HONORII in actis Concilii hujus iteratam attinet, communior est sententia, eum damnatum fuisse, non ut hæreticum, sed ut hæreticorum duntaxat fautorem, et reum negligentiae in iis coercendis. Equiorem adhuc se recens præbuit Joan. Bapt. Bartholi Ep. Feltrensis in sua pro Honorio apologia; qui ut hunc Pontificem etiam a negligentiore

œconomia absolveret, epistolas illi adscriptas ostendit supposititias; postremam quidem ex integro, priorem ea ex parte, qua de male consulto operationum silentio tractatur. Cæterum idem Episcoporum quidem orientalium conspiratione, non autem Synodi iudicio, Honorum damnatum contendit; negata eam in rem confirmatione Leonis, cujus litteris sive ad Constantinum, sive ad Hispanos inscriptis, fidem novis suppositionis indicis detrahit: de qua opinione alibi dicendum.

OECUMENICUM VII. NICENUM II.

I. Ut cultus et usus sacrarum imaginum in Patriarchatu Constantinopolitano restauraretur, desiderata est hæc Synodus. Exulabat is ab anno 726, quo illum LEO *Isauricus*, in suo a Saracenis hausto errore a CONSTANTINO Nicosiae in Phrygia Episcopo, confirmatus, Imperiali decreto proscripsit. Qui sacre religionis tutelam susceperunt GERMANUS Patriarcha Constantinopolitanus et JOANNES DAMASCENUS editis litteris ac libris, GREGORIUS II et III iudiciali etiam sententia; nihil profecerunt. Exasperavit malum CONSTANTINUS *Copronymus* dirissima persecutione, et Hieryæ A. 754 convocato Episcoporum Constantinopoli subditorum conciliabulo, quod Concilii generalis septimi nomen usurpans hæresin ICONOCLASTARUM confirmare studuit, sed incassum: STEPHANO IV summo Pontifice scilicet acta ejus A. 769 in Synodo Romana rescindente. Post hujus filiique LEONIS similem, sed breviorē tyrannidem morte infausta finitam, et seriem impiorum Constantinopolis Patriarcharum spontanea PAULI abdicatione terminatam, IRENE Augusta cum CONSTANTINO decenni imperans et TARASIVS Patriarcha pacem Ecclesiae reddiderunt: quam ut firmarent, Concilium a se cogendum petierunt ab HADRIANO I auctoritate missorum Legatorum muniri. His A. 786 Constantinopolim appulsis et Patribus collectis, cœptam jam congregationem rupit militum iconomachorum seditio; redintegravit tamen altero loco et anno Imperatricis et Patriarchæ conjuncta religioni prudentia. Hac procurante, confluerunt ex omnibus Orientis Patriarchiis Episcopi 350, præter Archimandritas et Monachos plurimos, præsidium adeuntibus Legatis Pontificiis, Petro Archipresbytero Romano et Petro S. Sabæ Abbate. Ipsi Synodo locum præbuit Nicææ in Bithynia Ecclesia S. Sophiæ; durationem, quod a 24^a Sept. ad 23^{am} Octob. intercipitur tempus anni 787 definivit.

II. *Actio 1^a*. Post initialem TARASII, tanquam controversiæ gnari, orationem et lectas litteras Imperiales, Episcopi septem, Hieryensis conciliabuli complices, in Concilium ingressi, dicto ICONOCLASTIS anathemate veniam rogant: Patres perlectis Apostolorum et Nicænis, de receptione resipiscentium, Canonibus, tres illorum restitunt suas in sedes, cæteris in aliam sessionem dilatis. *Act. 2^a*. Etiam his receptis, differtur adhuc GREGOR. Neocæsarensis, memorati conciliabuli præses: leguntur HADRIANI Papæ litteræ fidem exponentes, ad Augustos altera, altera ad TARASIVM, ea parte tamen omissa, qua hujus e statu laicali ad Patriarchalem immediata translatio et appellatio Patriarchæ universalis usurpata reprehenditur; lectis a Concilio honorifice acclamatur et consensus præstat. *Act. 3^a*. GREGORIUS Neocæsarensis, ubi professione et pœnitentia satisfecerat, recipitur: recitantur TARASII litteræ, tum ad Orientales, tum Orientalium nomine scriptæ, cum epistola THEODORI Hierosolymitani: omnes a Legatis Pontificiis probantur. *Act. 4^a*. Prolatis ex

Scriptura et Traditione pro cultu imaginum testimoniis damnantur ICONOCLASTÆ, et fidei professio editur. *Act. 5^a*. TARASIVS ex Novatorum scriptis ostendit, eos secutos Gentilium, Judæorum et Hæreticorum idioma ac sensum; Patres; audita inter alia JOANNIS Thessalonicensis disputatione, decernunt sacras imagines pingi et in supplicatione pro more circumferri posse; quin ideo ejus rationem ab asserto Angelis corpore recitatam una probent, quos in professione fidei nupera diserte incorporales dixerant. *Act. 6^a*. Ope præsertim Traditionis perpetuæ et infallibilitatis Ecclesiae, profligantur argumenta quæ conciliabulum pro sua definitione erronea adduxerat. Hac occasione explicatur quo sensu Eucharistia a quibusdam dicta sit antitypa corporis et sanguinis Christi; ante consecrationem nempe imago ordinaria et vacua suo prototypo, post vero singularis et illo plena. *Act. 7^a*. Editur definitio, qua præter fidei symbolum recitatum, sex Concilia œcumenica adoptata, hæreticos ab his proscriptos rursus damnatos, et confirmatum de Traditionibus dogma, decretum fuit pro imaginum cultu, et iconomachi anathematizantur. Eandem professionem Patres Constantinopolim evocati coram Augustis repetunt, quæ a pluribus pro *Act. 8^a* et ultima habetur.

Qua actione CANONES conditi sint, est incertum. Actione ultima, præter encyclicam ad omnes Ecclesias epistolam, TARASIVS litteras etiam cum Concilii actis misit ad HADRIANUM summum Pontificem, qui Synodum quidem non confirmavit datis pro more ad Augustos vel Ecclesias litteris, nec quoad Canones omniaque in actionibus dicta approbavit; sed tamen quoad decretum fidei, uti antea jam docuerat, sic ratum confirmatumque habuit. Exinde porro, ex sinistra item adorationis acceptione, et perversa actorum, præsertim subscriptionis Constantini Cyprii, traductione factum est, quod libri Carolini, Conc. Francofordiense et Parisiense et quidam scriptores seculi ix hanc Synodum damnare sint ausi.

III. Decretum fidei circa imagines ita habet: *Sequentes divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium, definimus, sicut figuram crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus et tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter se habent, in sanctis Dei Ecclesiis, et sacris vasis, et vestibus, et in parietibus, ac tabulis, domibus et viis, tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratæ Domine nostræ sanctæ Dei genitricis, honorabiliumque Angelorum et omnium Sanctorum. Qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad prototyporum memoriam, et desiderium et ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impertiendam: ita ut istis, sicut figuræ pretiosæ ac vivificæ Crucis, et sanctis Evangeliiis, et reliquis sacris monumentis, incensurum et luminum oblatio exhibeatur, quemadmodum et antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit.*

Præter anathema conjectum singulatim in Theodosium Ephesinum, Pastillam, Basilium, Anastasium, Constantinum et Nicetam Constantinopolitanos, Joannem Nicomediensem et Constantinum Nacoliensem, idem universim dictum est his: 1. qui assumunt dicta sacre Scripturæ, quæ sunt contra idola, in venerandas imagines; 2. qui venerandas imagines appellant idola; 3. qui dicunt, quod Christiani imagines ut Deos adorant; 4. qui non salutant sanctas ac venerabiles leonas.

In subjecta CANONUM synopsi, qui his notis () includuntur, Ecclesiae Romanae approbatione carent. 1. (Antiqui Canones Apostolorum et Conciliorum tum generalium tum particularium observentur). 2. Non ordinetur Episcopus, nisi Psalterium et psallendi ordinem norit, et totam Scripturam adscrutabiliter legere sciat. 3. Electio Episcopi et aliorum a Principibus, dominationis scilicet, non patrociniis titulo facta, nulla sit. 4. Episcopi a Clericis vel Monachis non exigant munera. 5. Nemo solo facultatum Ecclesiis datarum intuitu ordinetur. 6. Synodus Provincialis semel saltem in anno celebretur. 7. Ne templa consecrentur sine Sanctorum reliquiis, (et Judaei baptizati deceptores impune dimittantur ex Ecclesia; nec eorum pueri baptizentur aut servi emantur.) 8. Haereticorum scripta, praesertim contra sacras imagines, non retineantur. 9. Clericus non deserat Parochiam suam aut diocesin, nec secularia negotia tractet. 10. Quaelibet Ecclesia suum habeat oeconomum. 11. Episcopi et Abbates, bona Ecclesiae alienantes, deponantur. 12. Monasteria non fiant secularium habitacula: profanata ab Iconomachis restituantur. 13. Tonsurati, sed necdum ordinati Lectores, ne legant publice. 14. Clericus ne adscribatur duabus Ecclesiis, h. e. duo beneficia habeat, nisi Clericorum sit penuria. 15. Clerici abstineant indui pretiosis vestibus, aut imbui unguento odorato. 16. Non permittantur Clerici aut Monachi templorum vel monasteriorum moliri fabricam, nisi sumptus adsint pro consummatione. 17. Feminae in Episcopio vel virorum monasterio non versentur. 18. Simonia a susceptione ordinum ac ingressu in Religionem absit. 19. Conjuncta Monachorum et Monialium monasteria non fiant, nec diversus Religiosorum sexus habitent in iisdem aedibus, aut familiaritatem habeant. 20. Monachi aut Moniales non transeant ad alia monasteria. 21. Christianorum convivium sint modesta: Clerici aut Monachi cum Monialibus secreto non manducent.

OECUMENICUM VIII. CONSTANTINOPOLITANUM IV.

I. Post resuscitatam quidem sub LEONE Armeno, MICHAELE Balbo, et THEOPHILO, sed a THEODORA Augusta denuo compressam *Iconoclastarum* haeresin, Constantinopolitanae sedis vicissitudo dedit huic Synodo occasionem, et Schismati Graecorum, licet aliquoties interpolato, etiamnum tamen vigenti, initium. Res ita habet: IGNATIUS, *Michaelis Curopalatae* filius, Patriarcha Constantinopolitanus sanctissimus, cum ob adulteram et incestam consuetudinem communionem privasset BARDAM *Michaelis* Imp. avunculum et Imperii moderatorem; hic malignis effecit artibus, ut deposito IGNATIO sufficeretur PHOTIUS Patriarcha, TARASII nepos quidem et summis dotibus instructus, sed ad quodlibet audendum impotenti ambitione paratus: quod is continuo ostendit, dum diuturna innocentem persecutione, vi ac fraudibus obtenta Episcoporum perversione, mendaci ad Pontificem relatione, et Pontificiorum Legatorum expugnatione, Constantinopoli evicit Synodum factae mutationis confirmatricem. Idem documentis novis auxit, ubi NICOLAUM I verius edoctum sibi obsistentem in Romano Concilio intellexit; utpote qui Ecclesiae Romanae exprobrare sabbatum quidem jejunium, mutilatam autem jejunii quadragesimalis observantiam; obijcere iterationem Sacramenti Confirmationis; reprehendere usum matrimonii Sacerdotibus prohibitum, et factam symbolo additionem de Spiritu sancti ex Filio processione; ipsum denique Pontificem

anathemati subijcere est ausus. Plura molientem tum certe cohibuit BASILIUS Michaeli sublato successus; qui PHOTIO in monasterium abjecto, IGNATIUM restituisse haud contentus, flagitavit ab HADRIANO II, NICOLAI successore, Concilium, quod priores turbas et Ecclesiae disciplinam componeret. Pontifice liberaliter annuente, et Donatum Ostiensem ac Stephanum Nepesinum Episcopos, Marinum vero Diaconum, Legatos mittente, congregantur 102 Episcopi orientales: et praesidentibus Legatis Pontificiis, Constantinopoli in templo S. *Sophiae* habetur Concilium, 5^o Octobris A. 869. collectum, ultima Februarii A. 870. solutum, eod. A. ab HADRIANO confirmatum.

II. Act. 1^a. Admissis in Concilium et laudatis 12 Episcopis, qui IGNATHI causa gravissime vexati fuerant, leguntur HADRIANI ad Imperatorem et Patriarcham ac commendatitiae Legatorum litterae; tum definitio Romanae Synodi omnes haereses cum Iconomachis et PHOTIO damnantis; tandem orientalium decisio ante Legatorum adventum, jam prolata: omniaque probantur.

Act. 2^a, 3^a et 4^a. Lapsi cum PHOTIO Episcopi, oblato poenitentiae libello et subscripta Romana formula, recipiuntur sola impositione manuum: Clericis autem imperatur epitimium, h. e. certi jejunii et precum poenae: Niceno contra et Ancyrano Episcopis refractariis negatur venia et sedes in Concilio. Recitantur tandem litterae BASILII et IGNATHI ad NICOLAUM, NICOLAI ad MICHAELEM et PHOTIUM, HADRIANI ad IGNATIUM.

Act. 5^a et 6^a. Citatis primum PHOTIO, dein sectariis Praesulibus, leguntur laudatae NICOLAI litterae; utrisque nihil respondentibus aut respiscere nolentibus datur mutandi animi spatium.

Act. 7^a et 8^a. PHOTIUS ad Concilium reversus ob ferociam reprehenditur, ob contumaciam ex NICOLAI et HADRIANI lata jam sententia damnatur: ejus scripta cum actis habitorum ab eo conciliabulorum traduntur igni: receptis in gratiam Presbyteris quibusdam poenitentibus, repetitur anathema in Photium et Iconomachos.

Act. 9^a et 10^a. Alexandrinae Sedis Legatus, commendatitia ejus lecta, recipitur: ipse vero lectis et approbatis actis recipit Concilium: testes contra Ignatium poenitentes cum caeteris recipiuntur in gratiam: eduntur et promulgantur 27 Canones: legitur fidei definitio et subscribitur: acta mittuntur Romam per Anastasium Bibliothecarium, a quo facta latina translatio sola integra extat.

A Synodo absoluta vix decennium abierat, cum PHOTIUS impostura primum in aulam, dein BASILII gratia ad sedem Patriarchalem, mortuo IGNATIO, adrepsit; quin et nova Legatorum Romanorum corruptione aliisque artibus malis, prioris Synodi acta conciliabulo Constantinopoli coacto rescidit; non diu tamen inultus; siquidem a JOANNE VIII anathemate percussus, a LEONE *Philosopho* BASILII successore iterum dejectus, exul vivere A. 891, desierit. Illo maxime auctore jaeta sunt Ecclesiam Latinam inter et Graecam discordiarum semina, ex contentione Romani et Constantinopolitani Patriarcharum, Bulgariam sibi vicissim vindicantium, aucta. Quamvis enim ad MICHAELEM *Cerularium* usque unio steterit utcumque; ex Graecorum tamen parte non jam sinceram satis fuisse, ostendit eorum reluctantia, in mittendis Romam Episcoporum chirographis sub finem hujus Concilii declarata.

III. Fidei definitio, praeter repetitum in haereses priores et PHOTIUM anathema, nihil admodum habet, atque in illo cum CANONIBUS convenit.

Unde eorum tantum epifomen damus. 1. Canones Conciliorum et Traditiones Patrum servantur ut secunda eloquia Dei. 2. Nicolai et Hadriani edita circa præsentem causam decreta custodiantur. 3. Sacræ imagines honorentur. 4. Photii Episcopatus et collati ab eo ordines habeantur irriti, h. e. illiciti et cum irregularitate conjuncti, non autem invalidi et nulli. 5. Neophyti non promoveantur ad Episcopatum: servantur in ordinationibus interstitia longiora, nisi dispensetur. 6. Anathema novum in Photium; 7. Item in Iconomachos; qui ad docendas scientias non admittantur. 8. Ordinatores non exigant subscriptiones ab ordinandis, queis hi illis se adhæsurus spondere cogantur. 9. Ejusmodi chirographa a Photio extorta neminem obligent; qui ob ea Photio adherent, puniantur. 10. Ante synodicam sententiam nemo a Patriarcha vel Episcopo se separet. 11. Error de duabus hominis animabus rationalibus, qui Photio tribuitur, damnatur. 12. Electio Episcoporum non fiat malis artibus aut tyrannide Principum. 13. Ad dignitates Ecclesiæ Constantinopolitanæ eligantur tantum, si digni adsint, e Clero ejusdem Ecclesiæ. 14. Condigne honorentur Episcopi, etiam a Principibus. 15. Bona Ecclesiæ ne alienentur. 16. Illusores rerum sacrarum subsint anathemati. 17. Præsules a Patriarcha ad synodum vocati non causentur sine Principis præsentia synodum celebrari non posse; cum hæc excusatio careat patrocinio Canonum. 18. Bona et privilegia ab Ecclesia per tricennium quiete possessa, firma mancant. 19. Metropolitæ subditos Episcopos prætextu visitationis ne gravet. 20. Bona Ecclesiæ in emphyteusin data prætextu Canonis annui non soluti, nisi per tres continuos annos id omissum fuerit, non repetantur; quod dum fit, fiat ordine judiciali. 21. Synodus etiam generalis non dicat sententiam audacter contra Romanos Pontifices: in Principes his aut Patriarchis reverentiam debitam negantes dicatur anathema. 22. Principes Episcoporum electionibus se non immisceant. 23. Episcopi alienæ Ecclesiæ possessiones ne invadant, nec conferant aut locent. 24. Metropolitæ ipsi fungantur suo officio, non per suffraganeos, præsertim subditorum impensis. 25. Adhærentes Photio depositi non restituantur. 26. Cuilibet Clerico læso appellare gradatim usque ad Patriarcham liceat. 27. Episcopi jure Pallii gaudentes, id non gestent extra loca et tempora a canonibus statuta. Monachi ad Episcopatum assumpti retineant ordinis habitum.

II. CONCILIA ŒCUMENICA OCCIDENTALIA.

137. Concilia Œcumenica occidentalia numeramus, continuata cum orientalibus serie, hoc ordine et numero: Lateranense I. Lateranense II. Lateranense III. Lateranense IV. Lugdunense I. Lugdunense II. Viennense, Florentinum. Lateranense V. Tridentinum.

ŒCUMENICUM IX. LATERANENSE I.

I. Triplex universim causa fuisse videtur hujus Concilii celebrandi; ut confirmaretur scilicet: 1^o. abrogatio *investiturarum*, secundum pacta CALLIXTI inter et HENRICUM inita; 2^o. ut succurreretur *Palæstinae* et *Hispaniæ* sub infidelium tyrannide gementibus; 3^o. ut *disciplina* Ecclesiasticæ, quæ per Clericorum simoniam et luxuriam corrupta erat, consuleretur.

Investitura nomine intelligitur consensus a seculari Principe datus factæ alicujus ad Episcopatum vel Abbatiam electioni, et concessio possessionis bonorum Ecclesiasticorum, solemnique aliquo ritu demonstrata. Originem ea actio traxit a Principum secularium munificentia: quæ cum non prædia solum et latifundia, sed et feuda Regalia Ecclesiis concederet, pro communi feudis omnibus ratione, exigebat ut Episcopi aut Abbates in eorum possessionem non venirent, nisi exhibito Principibus hominio et præstito fidelitatis juramento. Hæc res, quæ potuit ab initio esse inculcata, deinceps in graves degeneravit abusus. Extendebantur enim *investitura* non ad feuda Regalia tantum, sed ad bona Ecclesiastica omnia; tollebat electionum libertas; quin et Episcopatus et Abbatia venales fiebant, et hominibus indignissimis conferebantur: dumque bonorum temporalium possessio dabatur per traditionem baculi et annuli pastoralis, quæ potestatis Ecclesiasticæ signa sunt; præbebatur multis occasio credendi, a Principibus ipsam jurisdictionem spirituales cum feudis conferri. Tot malis occurrere studuerunt, habitis Conciliis et decretis editis, Pontifices plures, GREGORIUS VII, VICTOR III, URBANUS II, PASCHALIS II, GELASIVS II et CALLIXTUS II. Confecta res facilius est cum PHILIPPO I, Rege Francorum, qui concessa electionibus libertate, et dimisso baculi et annuli pastoralis ritu, soloque fidelitatis juramento exacto, Regalia dari consensit; difficultatem passa est cum Regibus Angliæ WILHELMO II et HENRICO I, posteriore tandem cédente, sed hominum adhuc retinente, secundum Regni scilicet morem: cum HENRICO IV et V autem Imperatoribus ad schisma processit, illo *Guibertum* Ravennatensem GREGORIO, hoc *Burdinum* Bracharensem CALLIXTO antipapas objicientibus. Uterque Imperator anathemate percussus, prior quidem dum parere renuit, ab Imperii Principibus exauctoratur; posterior ne exauctoretur, A. 1122, primum Wireburgi arbitrio delectorum controversiam componendam relinquit, tum Wormatiæ in pacta convenit, eadem demum Bambergæ confirmat.

Ad hanc Sacerdotium inter ac Imperium initam pacem universi orbis consensu stabiliendam CALLIXTUS II datis ejusdem anni mense Decembri litteris, evocavit Romam Concilium. Convenere, teste Sugerio Abbate, Episcopi 300 et amplius, ex Pandulphi autem computo 997, Episcopi partim, partim Abbates: presidente ipso CALLIXTO Pontifice, celebratum est Romæ in Basilica Lateranensi, unde et nomen gerit, mense Martio, A. 1123.

II. Actorum in hac Synodo nihil superest præter Canones, qui disciplinæ leges ex præcedentibus maxime Conciliis renovant, et de signatis Cruce edicunt. Pacta Imperatoris et Pontificis mutua, quæ a Patribus solemniter rata fuerunt habita, hæc erant;

Ex parte quidem Imperatoris: *Ego Henricus, Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei et S. R. E. et Domini Papæ Callixti, et pro remedio animæ meæ dimitto Deo, et sanctis ejus Apostolis Petro et Paulo, sanctæ Ecclesiæ Catholicæ omnem investituram per anulum et baculum, et concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem et liberam consecrationem. Possessiones et Regalia S. Petri, quæ a principio hujus discordiæ, usque ad hodiernum diem ablata sunt, quæ habeo, eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo; quæ autem non habeo, ut reddantur fideliter jurabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, et Principum et aliorum tam Clericorum quam Laicorum, consilio Principum et justitia, quæ habeo, ut restituantur, fideliter*

juvabo: et do veram pacem Domino Papæ Callixto, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et omnibus qui in parte ipsius sunt vel fuerunt: et in quibus S. R. Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo. Ex parte Pontificis autem; Ego Callixtus, servus servorum Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum et Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque simonia et aliqua violentia: ut si qua inter partes discordia emerit, Metropolitanæ et Provincialium concilio vel iudicio, saniori parti assensum et auxilium præbeas. Electus autem Regalia per sceptrum a te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Ecclesiam Romanam pertinere noscuntur; et quæ ex his jure tibi debet, faciat: ex aliis vero partibus Imperii, consecratus infra sex menses Regalia per sceptrum a te recipiat. De quibus vero mihi querimoniam feceris, secundum officii mei debitum, auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, et omnibus qui in parte tua sunt vel fuerunt tempore hujus discordiæ.

Pax tantis solemnitatibus constituta, adeo tamen firma non fuit, ut sequente ætate, præsertim sub FRIDERICIS I et II Imperatoribus, non recruduerit discordia, colliso rursus Imperio cum Sacerdotio: donec tandem sub Augustissimæ Domus Austriacæ Imperatoribus concordia rediit; jacta a RUDOLPHO I basi, a FRIDERICO III autem, erectis Concordatis Germaniæ, feliciter consummata.

III. CANONUM numerus, ordo, lectio, et inscriptio in diversis collationibus diversa est: epitome subjecta vulgatam editionem conciliorum, et Gratiani Canones insertos Callixto inscribentis decretum sequitur. 1. Simoniacæ promotiones et ordinationes ne fiant: simoniacè ordinati vel promoti priventur dignitate acquisita. 2. Non fiat Præpositus aut Decanus, nisi Presbyter; nec Archidiaconus, nisi Diaconus. 3. Clericis contubernium cum concubinis et uxoribus sit interdictum; nec habitare cum feminis aliis liceat, quam quas Nicænum I permisit. 4. Sub pœnâ sacrilegii non disponant Laici de rebus Ecclesiasticis. 5. Matrimonia consanguineorum, divinis humanisque legibus contraria, sint infamia. 6. Burdini antipapæ ordinationes irritæ sunt. 7. Sine consensu Episcopi nemo conferat curam animarum. 8. Nemo sub anathematis pœnâ invadat Beneventum. 9. A suo Episcopo excommunicatus non recipiatur in communionem ab alio. 10. Nemo consecret Episcopum, nisi canonicè electum; secus uterque deponatur. 11. Prefecturi Hierosolymam ad bellum contra infideles fruantur indulgentiis; eorum bona autem Rom. Ecclesiæ tutela, lato in invasores anathemate. Cruce olim signati, sed voti non tenaces, resumant intra annum expeditionem Hierosolymitanam vel Hispanicam, alias anathemate feriendi. 12. Porticanorum, h. e. militum in Portuensi urbe, vel peregrinorum in porticibus Romæ degentium, sine hæredibus mortuorum, bona non invadantur. 13. Qui treugam seu inducias ab Ecclesia indictas violat, excommunicatus esto. 14. Laicus oblationes Ecclesiis factas capiens aut ipsas Ecclesias usurpans subsit anathemati. 15. Falsarii monetæ communionem priventur. 16. Sub eadem pœnâ Romipetæ non molestentur. 17. Monachi chrisma, oleum infirmorum, consecrationem altarium, ordinationem Clericorum capiant ab Episcopo: externos inungere oleo ne ausint. 18. Parochi constituantur ab Episcopis; decimas et Ecclesias non recipiant a Laicis absque Præsulis consensu. 19. Servitia Episcopis a Monasteriis ab ætate Gregorii VII præstita continentur: Monachis tricennales Eccl-

siarum possessiones sint prohibitiæ. 20. Anathema sit, qui Ecclesiis, Clericis, Monachis, eorumve bonis molestiam infert. 21. Clericorum et Monachorum matrimonia non contrahantur, contracta dirimantur, contrahentes puniantur secundum Canones. 22. Alienationes Exarchatus Ravennatensis, universim aliorum etiam honorum Ecclesiasticorum, sint nullæ: ordinationes simoniacæ, aut non canonicæ, sunt irritæ, sensu scilicet præced. Conc. indicato.

OECUMENICUM X. LATERANENSE II.

I. Schisma, hæresis et disciplinæ corruptio fecerunt ut quatuor necdum lustris exactis novum Ecclesiæ universæ Concilium cogeretur. Schisma quidem ortum habuit an. 1130, ubi INNOCENTIO II in Papam canonicè electo Cardinales quidam opposuerunt *Petrum Leonis*, Civis Romani ditissimi filium, ANACLETUM II dictum. Prior urbe expulsus, ab Anglia tamen, Gallia, et Germania, et toto fere catholico orbe, S. Bernardi maxime opera, ut verus Pontifex est agnitus: posterior prævaluit Romæ, et an. 1138 mortuus, successorem etiam habuit Card. Gregorium, Victorem appellatum. Sed hic, depositis vestibus Pontificalibus Innocentio se remisit. Hæresin addiderunt Petrus de Bruis, ejusque discipulus Arnaldus de Brixia, quorum uterque parvulorum baptismati virtutem negavit; ille vero præterea veritatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia oppugnavit, sacrificia et opera pro fidelibus defunctis derisit, templa et cruces sacras confringi præcepit; hic bona et possessiones Ecclesiasticis crepta, et Laicis tantum concessa voluit.

Ad pacem Ecclesiæ firmandam, tuendam fidem, et corrigendos mores, indixit hanc Synodum Innocentius II, et ipse collectis Patribus millenarium numerum ferme æquantibus, præsedit. Sessiones celebratæ sunt Romæ in Ecclesia Laterani, A. 1139, media quadragesima.

II. Actionum numerum ac materiam monumenta nulla produnt.

CANONES duntaxat supersunt; ex quibus postremus primum, vigesimus tertius secundum, reliqui tertium caput causarum pro synodo hac congregata tangunt. Eorum hoc est compendium: 1. Simoniacè ordinatus deponatur. 2. Pro beneficiis et rebus sacris detur aut exigatur nihil. 3. Excommunicatus ab Episcopo suo, non recipiatur ab altero. 4. Qui ob habitum indecentem moniti ab Episcopo non emendantur Clerici, deponantur. 5. Mortui Episcopi bona nemo diripiatur, Ecclesiæ et successoribus servanda. 6. Majorum ordinum Clerici concubinarij vel uxorati priventur beneficiis. 7. Presbyterorum hujusmodi missas nemo audiat. 8. Moniales nubentes puniantur similiter. 9. Monachi et Canonici Regulares ne applicent se juri civili aut medicinæ discendis, temporalis lucri gratia. 10. Laici decimas Ecclesiarum non possideant. 11. Publica securitas præstetur omnibus. 12. Treuga inviolabiliter observetur sub pena anathematis. 13. Usurarii sint infames: ni respuerint, careant sepultura christiana. 14. Gladiatorum pro virium ostentatione certamina non liceant: mortuis in ejusmodi congressu negetur sepultura christiana; non tamen poenitentia et viaticum, ea ante mortem poscentibus. 15. Percussores Clericorum subiaceant anathemati, nec nisi urgente mortis periculo absolvantur ab Episcopo: Ecclesia et cœmeterium loca asyli sunt. 16. Ecclesiastica beneficia ne sint hæreditaria. 17. Matrimonia consanguineorum sint prohibita. 18. Incendiarij ante et post mortem subiaceant pœnis. 19. Episcopus has